



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi**

**Spinola, Fabio Ambrogio**

**Antverpiæ, 1630**

Cap. X. Noua in Indiam nauigatio, & in Iaponem aduentus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

rum laborum, quos Paulus, de se ipso loquēs, secundâ ad Corinthios Epistolâ, ita summam numeravit: *In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore & ærumnâ, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, in moribus frequenter*: videtur namque DEVS tam diuturnis annorum duorum experimentis periclitari voluisse hunc seruum suum, tamquam tirocinio quodam (vt ipse litteris suis appellat) Iaponis, illiusque gratiæ, quâ DEVS, postquam eum se dignum reperit, eius animum erat cumulaturus.

## CAPVT X.

*Noua in Indiam navigatio, & in Iaponem aduentus.*

QVAM citò exscenderat, in Professorum se domum, quæ Vlissipone est, contulit; in quâ, cum primùm peteret Indias, exiguo tempore manserat. Iam verò intonso capillo, barbaque promissâ, & alieno ac vili vestitu, nautæ quàm Religioso similior, adeò sui redibat dissimilis, vt initiò nõ agnosceretur. Cognitum quis esset, eo maiore gaudio charitateque complexi sunt, quò diutiùs nihil de eo vel rumoris acceperant. Ipse animo gestiens, cum inter Patres illos eâ se vestis humilitate obfo-



obsoletum aspiceret, temperare non potuit, quin diceret, se numquam aliàs tam splendide fuisse vestitum, atque cum laceris illis centunculis inuolueretur. Insignibus nimirum Christianæ paupertatis, veri que illius desiderij, quo Religionem propagare ardentissime cupiebat. Et quoniam, vti iam supra auditum est, omni adeundæ Italiæ commoditate contemptâ, iter Vlissiponem intenderat, vt eo ipso anno ad 18. Aprilis, post primum suum abitum, repeteret Indiam; vix à viâ recreatus, desiderium suum Moderatoribus quanto cyùs indicauit. Quibus, cum nihil statuendum priùs videretur, quàm de re totâ ad Præpositum Generalem per litteras retulissent, in Lusitaniâ eo anno remanere coactus est; quando litteræ ex Vrbe ante statum navigationi tempus perferri non poterant. Sensit ille grauiter, non solum iniectas desiderio suo moras, sed metum etiam maiorem quo angebatur, ne fortè in dubium profectio sua vocaretur. Neque procul sanè periculo abfuit: namque confanguinei, quàm citò redisse eum Vlissiponem audiuerè, operam dederunt, vt in Europâ retineretur, scriptis ad Claudium Aquauiuam litteris, quibus id beneficij concedi sibi flagitabant: vnâ nimirum periclitatione iam abundè factum esse desiderio Caroli. Perstitit tamen in sententiâ Claudius, vel nouis Caroli preci-



precibus firmatus, quibus haud obscure  
 DEVS indicabat, velle se Carolum in Iapo-  
 nem proficisci. Hoc anno versatus in Colle-  
 gio S. Antonij, quatuor vota nuncupavit.  
 Cùm verò quadraginta contubernales de  
 quinquagenis morbo tentarentur, egregiam  
 benè merendi de ægris domesticis opportuni-  
 tatem est nactus; præter curam quæ externis  
 quoque erat adhibenda. Etenim cùm id  
 temporis, vrbis vniuersæ status morbis labe-  
 factaretur, initiò in horas diei noctisq̃ ferè  
 singulas, Sacerdotes nostri ad audienda mori-  
 bundorum peccata vocabantur. Mox cùm  
 pestis ingentia caperet incrementa, ad hunc  
 modum Collegij nostri domestici (vt omni-  
 bus opem ferrent) laborem sunt partiti. Alij  
 perpetuò oppidum concursabāt, vt languen-  
 tium animos corporaque recrearent. Alij  
 aperto Domûs vtriusque templo, quæ Sacris  
 faciendis, quæ administrandis Pœnitentiæ  
 Eucharistiæque mysterijs, præstò accurrenti-  
 bus erant. His laboribus annus octauus & no-  
 nagesimus, sequentisq̃ initium exacta sunt.  
 Tum Magistratus, qui Indicarum rerum ad-  
 ministratiōni præest, nautes solitas in propin-  
 quæ nauigationis tempus expeditas esse iussit;  
 eò seuerius, quòd eæ, quæ præcedenti anno  
 soluerant, visâ ingenti Hollandorum classe,  
 cum quâ sibi dimicandum intelligebant, re-  
 trò



trò in portum, deterriti, redijssent, neque por-  
rò nauigassent. Hæ igitur naues, quæ anno  
toto in portu restiterât, vt imperio pareretur,  
celeriter refarcitæ sunt, additæque præsidio  
septenæ prætereà bellicæ, quæ reliquas tue-  
rentur aduersus quascumque hostiles. Sed  
cùm pertinax urbem pestilentia laceraret, Sa-  
cerdotes periculo exanimati, nautas comitari  
recusabant, quòd classem quoque, in quam  
tanta se multitudo ex infecto oppido conie-  
cisset, facilè corripì posse contagione intelli-  
gerent: quod si euenisset, nullam superesse  
saluti spem prouidebant. Ea necessitas Ma-  
gistratum impulit, vt à Societate præsi-  
dium peterent, à quâ Sacerdotum sibi co-  
piam datum iri sperabant, qui nauigationis  
comites, vectoribus adessent, ægroscq; ac mo-  
ribundos orationibus & Sacramentorum sub-  
ministracione, pro re periculoque solarentur.  
Nec fefellit eos spes: viceni quippe è Societa-  
te Presbyteri, varijs nauigijs distributi, nauig-  
antibus auxilio dati sunt. Hos inter Caro-  
lus fuit; qui, ne tam præclaram de DEO me-  
rendi occasionem amitteret, vnà cum P. Hie-  
ronymo de Angelis, Socio sibi alterâ nauiga-  
tione noto, sub extremú Martij, anno 1599.  
iterum ingressus est iter, præfectusque cum  
imperio ijs, qui eadem secum naue veheban-  
tur. Hac alterâ profectioe, memor, suæ suo-  
rum-



rumque sollicitudini vectores commendatos esse (qui magno solent numero conscendere, ob magnitudinem Indicarum, quæ, castellorum instar, Oceanum premunt) maiore etiam studio, impensa superiori cursui officia repetere cœpit; eò certè constantiùs, quòd mari iam affluetis esset, inuicti instar veterani, ad docenda sacræ doctrinæ capitâ, ad canendos Psalmos, ad sedandas rixas, ad solandos iuuandosque ægros, ad cælestia ferenda colloquia, ad audiendas pœnitentium noxas, aliaque id genus exercitia obeunda, indefessè incubuit. Et ne gemina narratis semel laboribus adferam, suffecerit generatim commemorasse; quâ ratione nauigationem hanc adornarit, quantisque, dum sanus atque æger esset, curis sanos ægrosque perpetuò informarit. Hac laborum continuâ quadam successione Goam tandem attigit; vbi menses aliquot hædere coactus, dum appeteret idonea in Iaponem nauigandi tempestas. Neque hîc defuit noua exercendæ patientiæ materia: Febre quippe continuâ conflictatus, bimestri ad eò exhaustus est, vt in phthisim propè cõijceretur. Eâ erat valetudine Carolus, cum adesset iam soluendi tempus. Ille tamen cupidus moriendi in Iapone, egregiâ scilicet in DEVM fiduciâ erectus, etiam tum febre continuâ vexatus, conscendit. Ac, quantumuis  
 multa



multa passus, post quinque & sexaginta die-  
 rum nauigationem (quâ Malacam postridie  
 Calendas Iulias anno 1600. est appulsus) cum  
 aqua potabilis etiam defecisset, DEI tamen  
 benignitate, quæ insignem viri constantiam  
 coronare visa est, sanitati est restitutus. Infoli-  
 tâ charitate Malacenses hospitem amplexi  
 sunt, lætissimi mosque ei nuntios attulere Patres,  
 qui narrabant varias in Iaponiâ sedes eo an-  
 no à nostris occupatas; tantos verò sperari  
 magnæ illius vineæ fructus, ut paucitas opera-  
 rum, impar culturæ futura videretur; adeoque  
 iam messis imminentis felicitate victos, opem  
 implorare Sociorum, *ut venirent & adiua-  
 rent eos.* His ergo nouis, ad inceptos conatus  
 maioribus animis præstandos inflammatus,  
 post octidui quietem, conscenso denuò nauig-  
 gio, in Chinas instituit iter. Post quatuor na-  
 uigationis menses, Macaensem portum feli-  
 citer tenuit. Vrbs hæc, etsi Lusitanis merca-  
 toribus habitata, Regi tamen Chinarum pa-  
 ret, ius pro eo dicente Magistratu quodam  
 quem vocant Mandarinum. Habet Societas  
 in hac vrbe Collegium, quod instar est Semi-  
 narij cuiusdam, in quo Chinensi Iaponensique  
 Missionibus alumni parantur, qui post cõpa-  
 ratas necessariarum disciplinarum scientias, iam  
 instructi assuefactique, varias in partes, ut res  
 fert, dimittuntur. Navis, quæ Carolum ex  
 Indiâ



Indiã vexerat, cum isthic anno illo hibernaret, eum quoq; retinuit: quo interuallo, Iaponicæ Prouincię procurationem administravit. Negotium ei prætereà datum est (utpote Matheos perito) delineandæ Ædis nouæ, quæ Assumptæ Virgini erat dedicanda. Et certè cogebat necessitas id opus moliri, cum incendium non modò antiquam Ædem corrupisset, sed Collegij quoque ærarium tam graui damno affligerat, ut nihil præter templi muros reliqui fecisset, qui adeò flagrantia ignium hiabant, ut inutiles penitus essent. Eodem tempore Lusitanis operam dabat, indefessus eorum animis expiandis; neque, dum conciones eorum linguã habebat, ægrorum necessitatibus deerat in Nosocomio. Per vniuersas Domos, quas in Orientalibus Indijs Societas obtinet, iam inde à S. Xauerij temporibus mos inueterauit, sextis quibusq; sub noctem Ferijs per Quadragesimam, faciendi verba de Passione Christi; manè autem, sextâ Feriã Hebdomadæ sanctioris. Hanc concionem excipit Supplicatio, non solum conuenientium multitudine celebris, tabernarumve cessatione solemnior, sed multò etiam spectabilior, cum ob copiam luminum, quæ ornandis Mysteriorum insignibus accenduntur; tum ob numerum eorum qui terga sua flagellis lacerant, non sine largâ sanguinis profusione.

E fione.



fione. Eo exemplo, his in locis, magni perpetuò excitati sunt animorum motus; nec pauciores Christiani ad emendandos mores, quàm Ethnici ad Religionem amplectendam adducti; qui tam religioso spectaculo manufecti, sensim pertinaciam Christianis moribus submisere. Quoniam autem difficilè accenditur oratio loquentis de Christi cruciatibus, cuius antea animus non est amore crucis inflammatus, ut vberiores scilicet existerent anni illius fructus, Carolum legerunt, cuius ardor, patiendique desiderium, plus satis sese iam publicarant. Operæ respondisse pretium, indicant litteræ de rebus anni illius scriptæ atque excusæ. Anhelabat interea ad discessus sui diem, quem tandem post menses aliquot instituit, eadem illa naue quâ Macaum fuerat delatus: prosperaque navigatione usus, confecit reliqua quæ supererant miliarium millia; tandemque Nangafacensis vrbs portum inuectus est anno millesimo sexcentesimo secundo, incredibili animi sui gaudio; cum secum nimirum reputaret, ad illum se terminum iam peruenisse, quem diu adeò quæsitum, neque sine difficultatibus occupatum, consecutus tandem erat, quatuor & viginti millium miliarium itinere superato.

CAPVT